



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicorum Per Germaniam, Belgivm,  
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasque Orbis Christiani  
Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt CIV. Essingense Collegivm In Bauaria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**

corum fundauit *Anna Burgundica* vidua *Adolfi Cliuensis*, Domini de *Rauenstein*, circa annum millesimum quadringentesimum nonagesimum.

## CAPELLENSE COLLEGIVM

IN *Zuytbeuerlandia Zelandiæ* Insula, in *Capellen* dicto, collegium XI. Canonicoꝝ fundarunt *Anna Burgundica* & *Colardus* Dominus de *Likerclien* anno circiter millesimo quingentesimo tertio.

## CAPVT CIV.

ESSINGENSE COLLEGIVM IN  
*Bauaria.*

IN vico *Efsing*, sub arce *Randeck*, id fundauit *Vlricus* senior de *Abensperg*, vnà cum filijs suis, *Dietrico*, Canonico *Ratisbonensi*, *Ioanne*, *Vlrico*, *Alberto*, & *VVilhelmo*, constituitque ibi sex Canonicos sacerdotes. Fundauit simul xenodochium, in quo duodecim valetudinariæ personæ sustententur. Ius verò præsentandi illas personas reseruauit maximo natu suæ familiæ, vt testantur litteræ foundationis datæ anno 1367. *Auentinus* ponit septem Canonicos, & annum 1363. sed verisimilior est copia Litterarum dictarum.

Ad prædictā foundationem dederunt aliqua prædia & bona *VVolfhart* ab *Ouensteten*, *Berchtholdus* *Vlranier*, & *Albertus* ab *Erlach*, vt testatur  
litteræ

litterę datę anno millesimo trecentesimo sexagesimo primo.

Stephanus, Fridericus, & Ioannes, Bauarię Duces fundarunt ibidem anniuersarium, & dederunt Ecclesiam Emptenbach, cum aliquibus redditibus anno 1380.

Ceterum vicus Essing, pertinet ad possessores dominię Randeck, qui olim erant de familia Abenspergęsi; quibus deficientibus successerunt Duces Bauarię. VVilhelmus, Dux Bauarię dedit hunc vicum, ob fidelia seruitia, *Leonardo ab Eck*, Doctori & Consiliario suo intimo, cuius filius *Osvvaldus*, id postea vendidit *Ottoni Henrico*, Comiti à Schvvartzenburg, Sic ferè Hundius in sua Metropoli Salisburgensi.

## CAPVT CV.

S. MARIAE DORDRACENVM  
*Collegium in Hollandia.*

**D**ordracum vrbs est in diœcesi Ultraiectensi, metropolis ciuitatum Hollandię, in qua *Sancta Sura*, siue *Soter* virgo honestissimis parentibus orta, maioris Ecclesię fundatrix celebratur: fertur enim singulari affectu venerata esse imaginem Deiparę Virginis, ad arborem super riuum *Dordrech* pendentem: & quidquid lucrabatur, id pauperibus erogasse. Cùm autem optaret Ecclesiam ædificare, ab Angelo didicit magnitudinem: & tri-